

scientiæ talis negligentia ascriberet? Non Episcoporum: qui iam se ab hac obligatione exonerauerunt, quando Religiosis assignarunt dictos Populos. Sicut si Curatus vadens ad audiendam sui subditi confessionem agonizantis, & Religiosus offerret se illi negotio: certe tunc ille Religiosus obligaretur ad audiendam confessionem illius infirmi, & non nisi quia se obtulit, & impediuit Curatum ne ille adiret infirmum. Sic in casu nostro, tenent Fratres ad faciendum omnia, que Clerici, vel Religiosi fecissent, si inde non remoti fuissent, & hoc de iustitia: sicut Religiosus ille qui obtulit se confessionem infirmi auditurum, & hoc ut dixi, quia se obtulerunt facturos, & quia impediuerunt, ne Indi Curatum, & qui eis Sacramenta ministraret, haberent. Quia sicut Fratres Mendicantes confessiones secularium audientes [per Clementinam Dudum, de Sepul] licet non audiant dictas confessiones de iustitia in principio, cum autem ceperunt conscientias penitentium scrutari, tenentur de iustitia perficere confessionem ceptam si penitens dignus absolutione apparuerit: sic nos licet de Charitate ceperimus Sacramenta Indis ministrare, verbum Domini pre-